

tituti sunt, ferre non debent contemptus suos, sed punire, et auctoritatem suam tueri, quia non personam suam, sed rem ipsam longe augustiorem repræsentant.

Secundo, jussa et pronuntiata ejus magni æstima, et tamquam oraculo observa. Leges enim et mandata ejus instar mœnium sunt continentes populum intra fines rationis. Quis autem nescit in quantum reatum incurrat, qui mœnia perfodit, transilit aut subvertit? Remum occidit Romulus frater, quod mœnia urbis a se erecta transilierit per contemptum. Ita in maximum magistratus contemptum vergit, si imperata ejus nihili fiant. Vocantur ejusmodi subditi filii Belial, id est, exleges in ss. litteris, proinde filii diaboli.

Tertio, eo præsentate nihil contra decorum die aut fac; hoc enim ipso contemnere illum præsumes et jure pœnas lues. Reus quidam (apud Aul. Gel. I. IV.) coram censoribus inurbane oscitare visus, ab iisdem gravi pœnæ addictus est, quæ tamen, ubi excepit nativum sibi hoc esse, remissa est. Alius quidam ab iisdem interrogatus, eum obeso cum esset corpore, equum haberet strigosum, et macilentum, lepide respondit, sed sibi perniciose: *Nihil id esse mirum cum se ipse aleret, equum vero servi.* Huic enim mox pœna constituta, quod cum tantis viris, quasi cum sociis joculari visus esset. Sed neque in gratiam ejus aliquod ei jus deferre in res sacras aut alienas debes. Audiendus potius S. Ambrosius, qui Valentiniano imp. se opponens in ep. ad Marcellinam scribens ait: « Allegatur imperatori licere omnia, ipsius esse universa. Resp. Noli te gravare, imperator, ut putes te in ea, quæ divina sunt, imperiale aliquod jus habere. Esto Dei subditus. Scriptum est: Quæ Dei, Deo: quæ Cæsaris, Cæsari. Ad imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem ecclesiæ. Publicorum tibi mœnium jus concessum est, non sacerorum. » Ad hæc quid imperator? Cohibuit se ad vocem præsulis, nec misit falcem suam in alienam messem.

Quarto, vide ne ei detrahas. Sic enim præcipitur, Exod. XXII. *Diis non detrahas, Hebr. elohim, id est, iudicibus, quod idem etiam nomen Dei est.* Vult ergo dicere Deus: Quos ego nomine meo cohonesto et deos voco, vide ne tu vilipendas aut infames. Detractores hujusmodi imitatores sunt maledicti illius Cham, qui patris sui nuditatem fratribus nuntiavit, Gen. IX. Et quemadmodum Noe id facile indagavit (ex pallio utique a duobus filiis sibi injecto) et propterea filium maledixit: ita tales facile manifestantur iis, quibus detrahunt. Unde Eccles. X. dicitur: *In cogitatione tua regi ne detrahas, et in secreto cubi- culi tui ne maledixeris diviti: quia et aves celi*

portabunt vocem tuam, etc. q. d. fama perferet tua maledicta ad aures ejus. Multos legimus a Severo imp. dicto Pertinace, damnatos, qui in eum jocati dixerant: Vere sui nominis imperator, vere Severus, vere Pertinax. Cito hæc convicia ad aures ejus venerunt, Bar. anno 200.

III. Honorandi sunt senes, quamdiu videlicet nullo gravi scelere canos suos maculant. Præcipit id Deus, Lev. XIX. *Coram cano capite surge, et honora personam senis, et time Dominum Deum tuum, q. d. propter timorem Domini senes honora, ad quorum honorem vel contemptum Deus attendit, et illum quidem præmiat, hunc castigat.* Hunc Italis vox signor, et Hispanis senior a voce senior, deducta, dominum significat.

Itaque primo, honorentur externo cultu assurgendo, sequendo, cedendo, etc. Observantur id naturæ solius instinctu, omnes pene nationes. Spartani, teste Plutarcho, in theatro venientibus senibus assurgebant et locum dabant. Idem in conviviis faciebant Romani, apud Val. Max. I. II. cap. I. Ante illos enim nemo considebat, aut surgebat, aut abibat. Unde Arist. I. IX. eth. c. II. *Omni seniori honor pro ætate reddendus est, assurgendo et sessione cedendo, etc.* et Juven. sat. XIII.

Credebant hoc grande nefas et morte piandum: Si juvenis vetulo non assurrexerat.

Præceptorum est sedere, discipulorum stare, uti voluit Theodosius: senes sunt præceptores, juvenes discipuli. Idem videre est in brutis. Vaccæ juniores cedunt senioribus. Et hodie adhuc naves leviores cum occurrunt gravioribus et dignioribus, honoris gratia vela demittunt.

Secundo, consulantur et in senatum assumantur, quia longo rerum usu, prudentia, maturitate consiliorum et morum gravitate communiter præcellunt juniores. Unde merito ægre ferunt, si neglectis ipsis juvenes consulantur, et evehantur ad gubernandum. Neque diu stare ejusmodi regimen potest. Hinc senatus dictus est a senibus. Recte S. Gregorius Nazianzenus dicebat: *Laudo legem nauticam, qua nemo ad navis gubernacula admittitur, nisi prius diu sederit ad remos, Beierl. in apoph.* Quomodo enim non periclitari et mergi tandem navis reipublicæ debet, si spretis seniorum sententiis, juvenes suas urgeant quasi seniores? Certe horum consiliis perversum et eversum seimus Roboamum. Similiter Ludovicus XI. Galliarum rex, quod seniorum consilio acquiescere nollet regno pene exutus, vocato ad se filio moriens dixit: *Vide seniores consiliarios in consilium adhibeas, eorum sententiam sequaris, verbis insistas, Joann. Spinæus, de tranq. animi.*

Tertio, a communibus oneribus eximantur, et liberentur. Ita inter apes, quæ ætate provectæ sunt, suum habent locum a junioribus discretum, neque ut hæc ad mella colligenda egrediuntur, sed domi remanent. Similiter et formicæ annis graviores ad inferendam messem non exeunt, sed in limine domus expectant juniores, earumque onera excipiunt, et in horreum inferunt, Antonius de Balinguen, in zoopæd.

Quarto, emeriti alantur. Si enim euidam Silesiæ duci (ut refert Æneas Sylvius, I. IV. comment. in res gestas Alphonsi) non absurdum visum est, ut in testamento suo juberet ædificari domum, in qua canes vetuli olim venationi utiles, a dominis relicti usque ad mortem alebantur, designatis in eam rem nonnullis agris: quanto æquius id præstatur senibus?

Denique, ne calumniis aut contumeliis aliisve injuriis appetantur. Quos enim Deus tam longa honoravit ætate qua ratione spernere homo potest? Obrepet enim et nobis aliquando tristis senectus, si tamen ea digni sumus, unde Eccl. VIII. dicitur: *Ne spernas hominem in sua senectute; etenim ea nobis senescunt, q. d. ex juvenibus quales modo nos sumus, senes ipsi deformes et imbecilles ac morosi fiunt.* Idem et nobis continget; si tamen contingat, et non citius vita abrumptur.

Quare finiens, auditores, audeo vobiscum facere sponsonem et dicere: Observate clerum, observate magistratum, observate senes: et stabitis et prosperabimini et vivetis: hic bene, ibi optime.

CONCIO V.

PASTOR SUI IPSIUS QUOMODO ESSE QUISQUE DEBEAT.

I. Dominetur affectibus, sensibus, et membris suis. — II. Seipsum, et suos defectus norit. — III. Educatur oves suas ad pascua bona. — IV. Custodiat oves suas. — V. Pro iisdem pugnet.

THEMA.

Ego sum pastor bonus. Joann. X.

Felices nos, auditores, si singuli cum Christo dicere possemus: *Ego sum pastor bonus.* Sed videor mihi audire plerosque respondentem, quid ad me pastoris nomen? Homo plebeius sum, non pastor. Viderint principes et magistratus; viderint episcopi et parochi: at non hi soli sunt, quibus pastorale incumbit munus; quilibet etiam sui ipsius pastor esse debet; habet enim non unum, sed plures greges sibi commissos, quorum primus sunt vires animæ rationalis, intellectus, voluntas, memoria. Secundus animi passionum, gaudium, tristitia, spes, timor, aliæque affectiones. Tertius quinque corporis sensus. Quartus corporis membra et corpus ipsum.

Quatuor hi greges pascendi ab unoquoque videntur indicati (sensu tropologico) Gen. I. ubi præficitur homo quatuor generibus animalium; scilicet avibus, piscibus, bestiis terræ seu quadrupedibus, et reptilibus. Per aves intelligere possumus gregem primum, per bestias terræ secundum, per pisces tertium, per reptilia quartum. Hos greges qui custodire novit, is vere pastor bonus dicendus erit. Ut enim Cato, teste Plutarcho, dicebat: *Optimum esse imperatorem, qui suis affectibus imperare posset, ita e contra Alphonsus Aragonum rex dicebat: Nihil esse inconvenientius, quam si quis aliis imperaret, qui suis affectibus propriis imperare non posset.* Hue ergo, auditores, animum intendamus, ut nos ipsos pascere, et custodire sciamus.

I. Bonus pastor ante oves suas vadit, ut dicitur Joan. X. et oves eum sequuntur. Hujusmodi pastor est, qui dominatur affectibus, sensibus et membris suis. Solitus est, Christus præire discipulos suos; unde quoties aliquem vocabat, dicebat: *Sequere me;* non autem: *Veni mecum.* Voluit autem per hoc monere eos, ut ipsum sequerentur voluntate et affectu, ipsique obedirent velut domino et magistro suo. Hinc cum aliquando Petrus Christum a patiendi voluntate retrahere vellet dicens: *Absit a te, Domine, non erit tibi hoc,* comminatus est ei Dominus, dicens: *Vade post me Satana: scandalum mihi es, quia non sapis, quæ Dei sunt, sed quæ hominum,* Matth. XVI. Rursum cum duo ex ipsis eum ad vindictam contra Samaritanam civitatem, provocarent: *Vis dicitis, ignis descendat de caelo et consumat illos?* repressit, et increpavit eos: *Nescitis cujus spiritus estis, Luc. XIX.* Alias eum alter altero major esse, et hic sedere ad ejus dextram, alter ad ejus sinistram vellet, repressit ambitionem eorum. Hunc igitur in modum, quoties passiones vel sensus præire rationem volunt, eamque ab æquo et virtutis proposito dimovere, toties reprimendi sunt, dicendo vel cogitando: *Vade post me cholera; vade post me inordinata lætitia, vel tristitia, timor vel audacia, scandalum mihi es; non sapis ea, quæ Dei sunt; nescis cujus spiritus sis.* Hoc est, quod Ecclesiasticus monuit, c. XVIII. dicens: *Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere. Si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis.* Quemadmodum enim Samson Dailæ suæ, cui imperare debebat, dum obsequitur, captus fuit ab hostibus atque exoculatus, sicque gaudium peperit hostibus suis, et expositus est in ludibrium pueris eorum, Judic. XVI. ita contingit iis qui sequuntur affectus suos, euntque post concupiscentias suas, capiuntur enim amore voluptatum, divitiarum, honorum vindictæ, et simul fiunt servi peccati et ludibrium

dæmonibus. Quare sicut oves præcedit pastor, quia stolidæ sunt, nec norunt viam quæ ad pascua ducit, ita ratio præcedere debet cæcos illos affectus et appetitus sensuales, et si eam antevertere conentur, imperio velut baculo repellere.

II. Bonus pastor cognoscit oves suas. Audite Dominum: *Ego sum pastor bonus, et cognosco oves meas.* Et paulo ante hodiernum evangelium præmisit: *Proprias oves vocat (pastor) nominatim, id est accurate et distincte, eas novit, curamque ac sollicitudinem de illis habet. Talis discipulorum imprimis suorum pastor erat Christus, qui dicebat: Non de omnibus vobis dico: Ego scio quos elegerim, etc.* Joan. XIII. Noverat enim proditorum suum, quem ibi taxat; noverat Petri infirmitatem et futuram negationem; noverat alios, unde et aliquibus nova imposuit nomina. Hunc in modum quivis nosse debet seipsum suaque vitia ac defectus, suarum virium imbecillitatem et lapsus quotidianos, in eosque per examen inquirere, eos ad iudicium sigillatim evocare, redarguere, et in se castigare. Qui hoc modo non cognoscunt se et greges, sequuntur concupiscentias suas malas; nec in hostibus eas reputant, sed eis miserabilis cæcitate serviunt, insuper et beatos se putant satiando eas potius quam domando; qui tunc rectius se affectos credunt, quando sapide comedunt, et placide bibunt, et suaviter multis horis dormiunt, carnis appetitus pascunt juxta libitum: applaudunt sibi cum quem dolo circumvenierunt, cum iniquum lucrum pararunt, cum ultionem de hoste sumpserunt, etc. Ita cotingit eis id, quod minatur Deus sponsæ, Cant. I. cum ait: *Si ignoras te o pulcherrima inter mulieres, egredere et abi post vestigia gregum tuorum, et pasce hædos tuos.* q. d. quia te ignoras, sequeris appetitus carnis et bestiales motus, et passes lascivos sensus tuos, sensualibus illecebris, adeoque a brutis nihil differes. Bonus pastor fuit Adam in statu innocentia, quia noverat omnia animalia et virtutes eorum, unde singula ad se vocavit, et nominibus suis insignivit, quæ singulorum proprietatibus convenirent. Gen. II. De qua re Moyses Barcephas, in lib. de paradiso, ex sententia antiquorum, scribit, Adamum in loco editiore sedisse cum majestate et vultu splendido, qualem postea Moyses habuit in monte; sicque evocasse singula ad se animalia, quæ prono et demisso capite transibant, vultus ejus reverentia. Quidquid de hoc sit, hac ratione quisque nosse deberet greges suos, affectiones, propensiones, vitia, errores suos, eosque ad examen vocatos suis nominibus indigitare v. g. hodie tu cholera levi de causa irrita es, leonem ergo induisti; hodie tu lingua impudice

locuta es, hircum ergo oluisti; hodie tu gustate ingurgitasti, in porcum ergo immigrasti; hodie tu os in proximum dentes exercuisti, in canem ergo mutatus es, etc. Itaque demisso animo veniam petat prava tua voluntas, seductus intellectus, vagabundi sensus, affectus inordinati et brutales. Ratio velut iudex residens, singulos increpet, corrigat, castiget, dicendo, v. g. intellectui vel voluntati: Ego novi cervicem tuam duram facilitatem, inconstantiam; linguæ: Ego novi tuam caninam rabiem, præcipitantiam; oculis: Novi vestram curiositatem, etc. Attendat item et norit, quæ mortalia sint, quæ venialia, et ex his quæ studiose patrata, quæ non studiose, curetque vitare omnia, priora vero maxime. Videat ætatem harum ovicularum, quot annorum, quot mensium, quot dierum sit hoc vel illud ejus peccatum. Videat quæ prolificæ sint, alia post se peccata trahentes, etc.

III. Bonus pastor educit oves suas, inquit Dominus, loco cit. ad pascua videlicet, eaque bona salubria, v. g. ad montosa et arentia (pinguia enim et humentia solent ovibus obesse.) Sic Christus educere consuevit discipulos suos ad loca orationi et evangelicæ prædicationi idonea, veluti ad festa templi Jerosolymitani, ad desertum, ad montem Oliveti, ad spectandam gloriam suam in montem Thabor, Luc. XXIV. ad spectandam ascensionem suam, eduxit eos foras in Bethaniam. Ad hæc in doctrina et sermonibus duxit eos ad intelligentiam S. Scripturæ, ad monumenta misericordiæ et vindictæ divinæ; veluti Luc. XVII. *Memores estote verborum Loth;* ad viam cæli contemplandam, veluti Matth. XVIII. quando statuit parvulum in medio eorum et dixit: *Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum;* ad contemplandas inferni penas, in historia epulonis, hominis non vestiti nuptialiter, conservi exactoris, servi pigri, etc. Hunc in modum quilibet educere suas oviculas, intellectum, voluntatem, memoriam, sensus affectus, ipsaque membra sua debet, ad pascua non humentia et pingua, quæ carni blandiantur, et animæ interim noceant; sed ad ea quæ animam impinguent; ad templa et conciones sedulo et attente audiendas; ad libros pios legendos; ad cœmeteria; ad loca sacra et miraculosa venerenda; ad contemplandam cæli, adeoque patriæ nostræ supernæ magnitudinem et pulchritudinem; ad spectanda justitiæ vel misericordiæ memorabilis monumenta, veluti cum iridem intuemur aut crucem; ad recolenda divina beneficia, et sanctorum exempla, ut cum per annum festa Christi et sanctorum celebramus, etc. Sanctus Hieronymus sensus et cogitationes suas educere consueverat ad incunabula Christi, aliaque terræ s.

loca, quibus Christus salutem nostram operatus est. Idem de Sancta Paula in ejus vita scribit: *Sancta Paula terram sanctam peragrans, cum ad Segor, sive Zoaram venisset, recordabatur speluncæ Loth, et versa in lacrymas, virgines socias admonerat, cavendum esse vinum, in quo est luxuria, cujus opus Moabitæ sunt et Ammonitæ.* Typum hujus industriæ exhibuit nobis Moyses, Exod. III. quando gregem, quem pascebat, *migravit ad interiora deserti* (sive ad locum optimi pastus, ut habent Chaldaica) sicque venit ad montem Horeb, ubi Deus ipsi locutus est. Secessit autem in eum locum, ut orationi et contemplationi quietus vacare posset; his mediis commodius pervenitur ad montem Dei. Quo sane non pervenient, qui sensus, mentem et cogitationes suas ducunt ad mundi vanitates contuendas et audiendas, ad ganeas et popinas, ad choreas et ludos inhonestos, ad spectacula et colloquia impudica, ad loca hæresi infecta, ad nundinas et forum, etc. ubi omnis generis imagines ingrediuntur in animam per fenestras sensuum, eamque distrahunt, perturbant, et quodammodo e propria domo expellunt, ut jam non amplius secum habitet, sed alibi per orbem vagetur, sicque omni devotionis spiritu evacuetur.

IV. Bonus pastor pro suis ovibus ponit animam ne a lupo rapiantur, uti audivimus in hodierno evangelio. Idque fecit Christus, cum in monte Oliveti processit obviam cohorti, et jussit ac fecit suos discipulos abire immunes atque illæsos: *Si ergo me queritis, inquit, sinite hos abire, ut impletur sermo, quem dixit: Quia quos dedisti mihi, non perdidit ex iis quemquam,* Joan. XVIII. Idem de suis ovibus, id est, omnibus electis ait Joannis c. X. *Non rapiet eas quisquam de manu mea: nimirum sicut Miloni pomum manu comprehensum (apud Pier. l. XLVIII. hierogl.) Herculi clava a nemine eripi potuit: ita multo minus Christo electi ejus. Christum imitatus est S. Thomas Cantuariensis episcopus, qui in templo sicariis sibi immissis obviam procedens dixit: Vos Dei jussi cavete ne cupiam meorum noceatis, ut in breviar. l. VI. festi. Quare simili modo custodire unusquisque debet vires animæ et corporis sui, intellectum, voluntatem, affectus, sensus, membra, eaque contra mundum, carnem, dæmonem, eorumque illecebras, defendere ac cohibere ne in peccatum consentiant, adeoque abripiantur a lupis illis; quin potius omnia perdere, vitam etiam ipsam paratus sit, quam ut mortiferum peccatum, per visum, v. g. gustum, tactum, aures, linguam, nutus, cogitationes committat; vel patiatur intellectum suum errores hæreseos, invidia, avaritia, vel simili vitio cæcari, aut voluntatem illicito amore ligari. Scimus quid evenerit Samsoni postquam*

se tonderi, et in sinum Dalilæ reclinari ac sopiri passus est. Idem contingit iis, qui rationem et mentem sibi adimi, voluntatemque inclinari ac sopiri muneribus, blanditiis, amoribus patiuntur. Cautiores et fortiores animarum suarum pastores fuerunt tres illi ss. pueri, qui maluerunt in rogum injici, quam stolido errore adorare statuam Nabuchodonosoris, Dan III. Susanna, quæ maluit incidere in manus improborum, quam iisdem prostituere corpus et pudicitiam suam, Dan. XIII. septem fratres Machabæi, qui maluerunt exquisitissimis necari tormentis, quam contra leges patrias gustum suum polluere carnibus porcinis, II. Macch. VII. Ita omnes ss. martyres, quorum una ea vox ad tyrannos fuit: *Cruciate, torquete, damnate, atterite nos. Probatio enim innocentia nostræ est iniquitas vestra,* apud Tertull. apol. ult. Nostro sæculo tales erant Thomas Morus Angliæ cancellarius, Joannes Roffensis episcopus, alique plures abbates et monachi, qui manus potius carnifici dare, quam ad impium regis Henrici decretum subscribendum applicare, ejusque errore et schismate involvi voluerunt. Cogitet unusquisque oves prædictas suas esse, ideoque non relinquendas hosti; cogitet se pastorem earum a Deo constitutum, cui strictam reddere rationem debeat; cogitet se eas, si servet, in vitam æternam beandas servare, sin perdat, cruciandas in gehennam mittere.

V. Bonus pastor pugnat pro suis ovibus contra lupos; mercenarius autem videns venientem lupum dimittit oves et fugit. Bonus ejusmodi pastor fuit David, qui ut ipse testatur, I. Reg. XVII. si quis ipsi aries e grege raperetur ab urso vel leone, persequebatur illos et percutiebat, eruebatque illum de ore eorum; et si illi consurgerent in eum, apprehendebat mentum eorum et suffocabat eos. Melior adhuc Davide pastor Christus per Davidem præfiguratus, qui pro ovibus suis, discipulis aliisque strenue pugnavit orando, disputando, patiendo; eruitque eos ex ore lupi infernalis, uti Petrum, quærendo eum oculis suis post negationem: Thomam, evocando eum ad sui contrectationem: Magdalenam, publicanos aliosque peccatores, quos a dæmone ligatos, solvit, et absolvit, defenditque contra obtrectatores Pharisæos, efficacibus rationibus percutiendo ora illorum, adeoque suffocando; denique pro nostrum omnium liberatione pugnavit in cruce usque ad sanguinem et necem. Hunc igitur pastorem imitari quisque studeat, et primo ingruente tentatione armet se virtutibus illi contrariis, superbiam humilitatione, gulam jejunio, libidinem flagellis et ciliciis, avaritiam eleemosynis oppugnet; in omnibus denique orationem adhibeat. Sola carnis

peccata fuga vinci debent, quia quo diutius mens in iis defigitur, eo fortius accenditur. Qui hac ratione pugnat, percutit hostem.

Secundo, persequatur hostem pergendo in solitis suis exercitiis spiritualibus, nec quidquam de iis remittat, nec de vetere instituto ac propositis aliquid immutat. Ut enim dæmon nil aliud lucri a nobis ferat, satis illi superque est nos ad tempus interurbasse. Aqua turbida nihil repræsentat, limpida vero et tranquilla minimos etiam lapillos ostendit. Tentatio perturbat hominem et ineptum reddit ad res suis momentis ponderandas juxta id Psal. XXXIX. *Comprehenderunt me iniquitates meæ, et non potui ut viderem.* Denique persequatur hostem, qui otium vitabit, et semper occupatus a dæmone invenietur.

Tertio, apprehendat mentum lupi eumque suffocet resistendo tentationum initiis. Ita suffocatur ignis antequam grassetur, et crescat in incendium, dum exorienti exitus et spiracula omnia præcluduntur; non item ubi flamma exitum et vires acquisierit. Facile defenditur civitas, antequam hostes eam ingressi sint, qui ubi introierunt, et in ea sedem suam firmarunt, deinde non nisi cum maxima difficultate possunt expelli. Saxum, cum in montis vertice jacet, facili negotio ibi detineri potest, ne cadat; ubi vero jam cadere cœpit, et in motu est, vix magnis viribus retinetur. Ita cogitationes malæ facile reprimuntur, si initio statim iis occurratur antequam radices agant. Modus ad hoc conveniens est mentem cito alio deflectere, v. g. ad meditationem mortis, vel inferni, vel statuere se coram imagine Christi crucifixi, et contemplari vulnera, dolores ac rivos sanguinis ejus, denique cogitare, hæc cum ideo pertulisse, ut destrueret peccatum; proinde totis viribus vitanda in posterum peccata.

Sed vereor, auditores, ne dum ista doceo, in plerisque operam ludam. Quot enim putatis esse, qui hanc doctrinam capiant sibi applicare studeant? Et tamen nisi dicta ratione pugnemus pro nostris ovibus, non pastores, sed mercenarii erimus, qui lupo adventante fugiunt, et derelinquunt gregem, audiemusque id Zach. XI. *O pastor, et idolum derelinquens gregem? Et quid fiet hujusmodi pastori ligneo et fictitio? Idem omnino quod gregi, quem lupi dentibus reliquit. Et quid tali gregi? Audiatur psaltes, Ps. XLVIII. Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos.* Sæviet ibi mors seu plaga in singulas illas oves misere derelictas, in intellectum, voluntatem, memoriam, in affectus et passiones, in sensus tam internos, quam externos, in membra denique omnia. Sicut e contra, si has oves nostras bene custodierimus, sentiemus eas in cælo singularibus beari gaudiis: quæ nobis tribuat Deus.

CONCIO VI.

SIGNA OVIVM CHRISTI SEU PRÆDESTINATORUM.

I. Mansuetudo. — II. Patientia. — III. Eleemosynæ. — IV. Pœnitentia et mortificatio. — V. Appetitus verbi Dei. — VI. Freqvens et debitus usus sacramentorum. — VII. Amor et fuga peccati. — VIII. Studium orationis. — IX. Humilitas.

THEMA.

Cognosco oves meas. Joan. X.

Refert Ludovicus Blosius, in appendice de quatuor sanctis feminis, sanctam virginem Mechtildem, cum feria quarta post diem paschæ inchoaretur missæ introitus: *Venite benedicti Patris mei, ingenti et inusitata lætitia repletam dixisse ad Dominum: O si unâ essem ex illis benedictis, qui hanc dulcissimam vocem tuam audituri sunt? Cui Dominus: Certo scias te unam ex illis esse: et ut nihil dubites, ecce ego do tibi cor meum in pignus amoris.* A quo tempore cœpit mira lætitia et devotione erga cor Christi affici, quæ etiam instante morte sua audivit ea Christi verba: *Veni, benedicta Patris, posside paratum tibi regnum a constitutione mundi.* Forsitan nos, auditores, similem cogitationem habuimus cum audivimus in hodierno evangelio: *Ego sum pastor bonus, et cognosco oves meas.* O si et ego essem unâ de Christi ovibus! O quam lætum hoc esset nuntium, si et nos audire possemus, nos esse de illis ovibus et nomina nostra scripta esse in libro vitæ! Certe S. Franciscus, cum a Deo per revelationem didicisset se esse prædestinatum, per octo dies quasi extra se constitutus, cibi et precum horarum oblitus, exultabat et dicebat: *Laudetur Dominus.* Sed paucis datum est, ut ejusmodi vocem audirent. Habemus tamen aliqua non parva indicia, ex quibus probabiliter colligere possumus, eaque ex ss. Scriptura et patribus, utrum de ovibus Christi simus. Et quoniam Christus suos electos ovibus comparavit, non obscure insinuavit, fore nos de illorum numero, si habuerimus indicia illa, e quibus noscitur ovis. Audiamus.

I. Agnoscitur ovis ex mansuetudine, quia sola ex animantibus omnino inermis est, nec utitur aliquo defensionis genere; nec enim cornibus ferit, nec unguibus lacerat, nec dentibus mordet, nec calcibus icit, quantum vis male tractetur; quin etiam cum capris amicitiae vinculo juncta est. Ita etiam ovis Christi noscitur ex eo, si quis proximum suum etiam inimicum non contemptim tractet, adeoque cornibus superbæ non feriat, si vindictæ appetitu non laceret, si dentibus detractionis non mordeat, si dicta factaque ejus non male interpretetur, etc. Sic enim S. Bonaventura, lib. de profectu religiosi

dicit non esse evidentius prædestinationis argumentum, quodque hominem magis Deo assimilaret, quam mansuetum esse et patientem. Patet ex Matth. VI. ubi dicitur: *Diligite inimicos vestros, etc. ut sitis filii Patris vestri, qui in cælis est: es: Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur, quod si filii, et hæredes.* Unde ibidem additur: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram, sciæcet viventium seu cælum, ut exponit Hieronymus.* Quando David a Saule ad necem quæsitus, peperit Sauli in spelunca; præscindens oram de chlamyde illius, eum occidere eum potuisset, eamque chlamyden ostendit Sauli de procul, et mansuetissime locutus est, patrem eum vocando, videns Saul tantam Davidis mansuetudinem, filium eum vocavit et flevit, conclusitque eum post se regem fore in Israel, I. Reg. XXIV. *Et nunc quia scio, inquit, quod certissime regnaturus sis, et habiturus in manu tua regnum Israel.* Similiter etiam non vane colligitur eum regnaturum in cælo, qui mansuetudinem ovium gerit in terra. Centurio videns inter alia prodigia Christi mansuetudinem in cruce eum oravit ad Patrem pro inimicis, conclusit eum esse Dei Filium debere: *Vere Filius Dei erat iste.* Maximum enim hoc prodigium erat, quod cælum et terra et omnia propemodum elementa pro eo pugnant, ipse interim nullum iracundiæ verbum proferret, sed insuper pro inimicis suis oraret quemadmodum agnoscebat S. Bern. serm. de pass. dom. Quoniam igitur per mansuetudinem proxime accedimus ad Deum Patrem qui solem suum oriri facit super bonos et malos, ejusque Filium qui in cruce cum maledicentur, non maledicebat, sed ut agnus mansuetis simus tacebat, fieri facile non potest, ut ab ejus gloria excludamur, si mansuetudinem excellamus.

II. Ex patientia, quia ligari et tonderi se patitur, nec repugnat sicut canes et feles. Sive ad pascua ducatur, sive ad macellum, æquo fert animo, nec vociferatur veluti porcus cum jugulatur. Ita etiam ex patientia tribulationum agnoscitur hæres cæli. Testatur id primo, apostolus ad Hebr. XII. dicens: *Qui enim filius quem non corripit pater? Quod si extra disciplinam estis, ergo adulteri (Græce, nothi, id est, spurii) et non filii estis.* Testatur S. Chrysost. « Si quem videris virtutis studiosum, inquit orat. III. de Lazaro, innumeris tamen affligi molestiis, beatum hunc puta, ut qui commissa peccata hic diluat, et illic paratam habeat mercedem. » Cui tamen addendum est, si is tribulationes patienter toleret. Nam alioqui videmus non solum bonos, sed etiam impios tribulari; non tamen eodem modo ab utrisque tribulationes sufferri. « Nec enim magis aliud injustos et justos discernit, ait S. Gr. ser. III. de bono patientiæ,

quam quod in adversis injustus per impatientiam conqueritur et blasphematur, patientia autem justos probat. » Cum ollam fictilem examinare volumus, digito eam pulsamus, et siquidem hiulcum edit sonum, fractam colligimus; sin vero obtusum, integram. Denique uti: *Vasa figuli probat fornax, sic homines justos tentatio tribulationis, ait Eccles. c. XXVII. nam vas testem probum igne solidatur, improbum vero crepat, et dissilit.* Unde S. Aug. in Ps. LX. ait: « Videte ergo paleas, videte et vos qui aurum estis: in eodem igne palea fumat, aurum rutilat: in eadem afflictione improbus blasphematur Deum aut accusat, patiens laudat, et ex ipsis adversis vires sumit, uti ignis qui flatu impetitur et crescit, atque unde extinguendus creditur inde roboratur. » Triticum ventilatum persistit, paleas avolant. Vis scire num pertineas ad triticum, in horreum Domini congregandum, an ad paleas igne comburendas? Vide num in tribulatione persistas patienter, an vero avoles per impatientiam.

III. Ex multiplici sua utilitate; pascit enim homines carne sua, potat lacte, vestit lana, adeoque evangelicam implet legem prout dixit aliquando S. Martinus de ove quæ tondebatur, quia duas tunicas habens dat unam non habenti. Sic etiam oves Christi agnoscuntur ex liberalitate, si pascunt esurientes, si potum dant sitientibus, si vestiunt nudos. Hoc enim expresse habetur Ps. XL. *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem, in die mala liberabit eum Dominus:* et Tob. IV. *Eleemosyna ab omni peccato et a morte liberat, et non patietur animam ire in tenebras.* Ratio quia talis facit sibi debitorem Deum, siquidem ipse dixit: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Ad hæc, quia fieri vix potest ut tot vota pauperum sint inania, quibus ipsi toties preantur æternam retributionem largientibus sibi eleemosynam, perpetuo enim dicunt: *Vota autem et orationes pauperum efficacissimæ sunt apud Deum juxta Ps. X. Desiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris tua.* Unde Hier. in ep. ad Nepotian. ait: « Nunquam memini me legisse mala morte defunctum, qui libenter opera charitatis exhibuit. Habet enim multos intercessores, et impossibile est, multorum preces non exaudiri. » Hæc ille.

Quare si vis aliquod præsagium salutis tuæ, dicam tibi quemadmodum Cyngari solent vaticinari; longe tamen verius. Jubent illi aperiri manum et enuntiant inde futura. Aperi et tu manum pauperi, da frequentes et largas eleemosynas, et salvus fies. Sic enim Deut. XV. dicitur: *Aperies munus fratri tuo egeno et pauperi qui tecum versatur in terra, subditque*